



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

V. Quia Spiritum Sanctum magnificavit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

Leontius Cyr. Neapolitanus hom. in s. Simeonem, Divinæ, ait Virgo, ac consubstantialis Trinitatis sui effecta particeps. Ut quodam sensu facta sit complementum Trinitatis. Ita H. Chius Jerosol. hom. 2. Arca Noë duas, aut tres contignationes, & mansiones habebat, Maria autem Universum Trinitatis complementum. Et quod dixit Andr. Cret. Or. 1. 2. Compendium incomprehensibilium perfectionum DEI. Quod fortè respicit Buteo in hymno, ubi Virginem vocavit Radium solis intelligibilis, Et Chrysippus Orat. de Deipara, Radicem honorum omnium. Et Epiphanius orat. de laudibus B. V. Radium gloriæ, Et Bonav. in psalm. Mari. Aulam solis. Et Andreas Cret. orat. 2. de Assumpt. Rem illam magnam venerandæ œconomix, quam cupiunt Angeli inspicere, Damian. serm. de Nativitate B. V. Illa quæ instar cæli totius Divinitatis meruit esse Sacrarium.

5. Quia Spiritum Sanctum magnificavit.

s. Josephus Confessor in Menais 2. Jan. ode 5. Ita Sanctam Virginem salutat. Ave quæ es pratum fragrantix sancti Spiritus, sed quomodo magnificaverit Spiritum sanctum exponet nobis Tuitiensium Abbas Rupertus in cap. 1. Matthæi. Spiritus S. maximè in hoc facto nominatur: nusquam enim antè absolute Spiritus Sanctus, sed relativè scribitur Spiritus Dei, sive Spiritus Domini, ab hoc ferè loco primum insonuit in auribus nostris, hoc reverendum & insigne vocabulum, proprium atque absolutum Spiritus Sanctus, ubi Angelus ad Mariam dixit: Spiritus S. superveniet in te, quam ob causam, nisi quod cum magna reverentia cogitandum sit, maximè ex hoc opere, quod in Maria operatus est, claruit hic Spiritus Domini, quod verè Sanctum est. Meritò alicubi Sanctam Virginem Ecclesia Catholica appellat Sacrarium Spiritus S. in quo ut in loco proprio magis clarescit, & colitur.

6. Quia DEI amica intima.

Qui vel aspexerit Canticum Cantorum, statim id clarissimè cognoscet sed audiatur etiam s. Anselmum lib. de Excell. V. cap. 4. Estne putatis ulla mens hominis, quæ modum hujus dilectionis, quam Deus ad Virginem habuit, queat penetrare? Et ulterius. Potestne quæso ullus hominum, aut Angelorum ipsius amoris immensitatem penetrare. Ita Deus amavit Mariam, sed & Maria DEUM ex sensu s. Bernardini tom. 2. serm. 51. cap. 2. Statim in utero amorem incepit ob acceleratum usum rationis, ubi jam perfectissimas contemplationes inclusa utero Matris exercebat. Ecce enim amorem. Idem tom. 1. sermone 61. art. 3. cap. 3. docet. Nè somno quidem interrumpēbat. s. Anselmus de Excell. Virginis cap. 4. Quantus hic amor fuerit, declarat, cum dicit: Superat omnium Creaturarum amores, & dulcedines, magnitudo amoris Virginei in Filium suum & dulcedinis immensitas quæ exultabat & liquebat in Dominum Deum suum.